



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XLVII. Quòd omnia gravia pro æterna vita sunt toleranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

C A P U T X L V I I .

*Quod omnia gravia pro aeterna vita
sunt toleranda.*

1. **F**illi, non te frangant labores,
quos assumpsi propter me,
nec tribulationes te dejiciant usque-
quaque; sed mea promissio in omni
eventu te roboret & consoletur.

Ego sufficiens sum ad reddendum
supra omnem modum & mensu-
ram.

Non diu hic laborabis, nec sem-
per gravaberis doloribus.

Expecta paulisper, & videbis ce-
lerem finem malorum.

Veniet una hora, quando cessa-
bit omnis labor & tumultus.

Modicum est & breve, omne
quod transit cum tempore.

2. Age quod agis: fideliter labora
in vinea mea, ego ero merces tua.

Scribe, lege, canta, geme, tace,
ora, sustine viriliter contraria: di-
gna est his omnibus & majoribus
præliis vita æterna.

P 2

Ve-

Veniet pax in die una, quæ nota
est Domino: & erit non dies ne-
que nox, hujus scilicet temporis,
sed lux perpetua, claritas infinita,
pax firma, & requies secura.

Non dices tunc: *Quis me libera-*
bit de corpore mortis hujus? Neque
clamabis: *Heu mihi, quia incola-*
tus meus prolongatus est! quoniam
præcipitabitur mors, & salus erit
indefectiva, anxietas nulla, jucun-
ditas beata, societas dulcis & de-
cora.

3. *O si vidisses Sanctorum in cœ-*
lo coronas perpetuas, quantâ quo-
que nunc exultant gloriâ, qui huic
mundo olim contemptibiles, &
quasi vita ipsa indigni putabantur!
profectò te statim humiliares usque
ad terram, & affectares potius om-
nibus subesse, quam uni præesse.

Nec hujus vitæ lætos dies concu-
pisceres, sed magis pro Deo tribu-
lari gauderes, & pro nihilo inter
homines computari, maximum
lucrum duceres.

4. O si tibi hæc saperent, & profundè ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri?

Nonne pro vita æterna, cuncta laboriosa sunt toleranda?

Non est parvum quid perdere aut lucrari regnum Dei.

Leva igitur faciem tuam in cœlum. Ecce ego, & omnes Sancti mei mecum, qui in hoc sæculo magnum habuere certamen, modò gaudent, modò consolantur, modò securi sunt, modò requiescant,

& sine fine mecum in regno

Patris mei permanebunt.

C A P U T XLVIII.

*De die aeternitatis, & hujus vite
angustiis.*

1. **O** Superiore civitatis mansio beatissima! O dies aeternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat; dies semper lœta, semper secura: & nunquam statum mutans in contraria!

P 3

3. O